



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 105. Papæ consilium de Cosma Medicæo in Etruriæ Regem creando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul XVI vero Annibalem illius fratrem ad Fer-
A.C. 1560. dinandum Cæsarem, ad Galliarum au-
 tem Regem decreverat Gabrielem Ser-
 bellonium fororis suæ Filium: Cum
 autem horum primus nonnisi honora-
 riam Legationem subiens, Hispaniæ Re-
 gi gratulari, ac Pontificis nomine ob
 præstita filialis submissionis obsequia
 grates rependere iussus esset, hinc spe-
 ciatim tanquam Nuntius designabatur
 Reveta Tarracinensis Episcopus, Præ-
 sul virtutum præstantia summe com-
 mendandus, atque Pontifici ob commu-
 nem utrique Patriam percarus, necnon
 ad id muneris commendatione Caraffæ
 Cardinalis adjutus.

§. CV.

*Papæ consilium de Cosma Mediceo in
 Etruriæ Regem creando.*

Thuan. l. 26. **C**um interea Nuntii Apostolici in va-
n. 5. riis Principum aulis de Synodi re-
 bus agerent, Cosmas Florentiæ Dux a
 Papa animatus Joannem secundo geni-
 tum Filium suum, qui nonnisi pridem
 Cardinalis creabatur, cum comitatu
 prorsus magnifico Romam decrevit.
 Recipiebatur is singulari honorum te-
 stificatione, ac ipsemet Pontifex suæ er-
 ga eum amicitiae specimina editurus
 ei Pisanum Archiepiscopatum ei-
 dem Paulo IV. immerito ablatum, ac
 Scipioni

Scipioni Rebibæ collatum restituit, huic **Sæcul. XVI.**
 vero Trojæ Episcopatum in Apulia com- **A.C. 1560.**
 pensationis nomine tradidit: Verum
 cuncta hæc Pontificis erga Cosmam be-
 neficia prorsus exigua erant, si compa-
 rarentur cum illis, quæ ei sub idem
 tempus conferre statuerat, quamvis in
 irritum ceciderint ejus molimina; cum
 enim Franciscus natus major ejus Filius
 jam in ea ætate esset, ut uxorem du-
 cere posset, magnumque momentum
 Pontifex ex eodem genere natus suæ
 familiæ se allaturum speraret, si eam il-
 lustri quadam affinitate augustiorem red-
 deret, hinc Terracineni Episcopo, qui
 ejus nomine apud Philippum II. Lega-
 tum agebat, injunxit, ut ab hoc Rege
 obtineret, quatenus Sororem suam, vi-
 duam Lusitani Principis uxorem, & Se-
 bastiani, qui post Avi sui mortem regna-
 bat, Matrem Francisco Cosmæ Filio
 in conjugem dare vellet: cum vero
 vereretur, ut Philippus in hæc nuptias
 utpote generis nobilitate dispares non
 consentiret, cum aliunde Austriacæ Do-
 mus gloriæ adversum videretur, eoquod
 Cæsaris Filia, ac potentissimi Regis So-
 ror, alteriusque Regis vidua novo Prin-
 cipi, qui duntaxat titulum Ducis gere-
 bat, desponsaretur, hinc Pius, ut majo-
 rem Medicææ familiæ dignitatem con-
 ciliaret, Philippum rogabat, quatenus
 Cosmam

Sæcul. XVI.
A.C. 1560.
Cosmam in Etruriæ Regem creare, eique jura, necnon Regum insignia concedere vellet, si forte hæ nuptiæ finem suum essent fortituræ: Verum ea res ceteris Italiæ Principibus tantopere displicuit, ut totum negotium penitus in irritum caderet.

§. CVI.

Excidium Caraffis a Papa paratum.

Thuan. l. c.
Spond. hoc
ann. n. 2.
Onuphr. in
vita Pii IV.
Equidem Papa inito Pontificatu sese benevolum exhibebat Caraffis, qui ad ipsius electionem haud parum conferebant: ut vero suam simulationem melius tegeret, Fabritium Sanguineum arcta necessitate cum Caraffis conjunctum ad Philippum II. extra ordinem legabat, eique, ac Terracinæ Episcopo negotium dabat, ut cum Rege agerent, & Montorii quidem Comiti pro Palliano a Varga promissam in Calabria, de qua diximus, compensationem, & Cardinali fratri pensionem pactam reposcerent. His perceptis nec Philippus, cum novo Pontifici gratificari cuperet, abnuebat, Tendiliæque comiti mandaverat, ut juxta Pontificis desiderium Caraffis satisfaceret. Insuper cum ea castella, quæ interregni tempore Caraffis in Umbria, & Perusino agro ablata & a veris Dominis Balnei comite, Vitelliis, & Ascanio